



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Schildi[i] De Caucis

Schild, Johannes

Lvgd. Batav., 1649

Cap. X. Cur reliquerit Caucum Romanus. Relicti caussae vel imperium tetigêre, vel imperantes. Imperio nihil, ultra Rheni fluenta, solidum ac duraturum. Victi Transrhenani, non domiti. Continuis in ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13007

peperere dissensiones, & odia nationum, in mutuas desinentia clades; alia quoque nostros urere vitia, illicitæ hostilium destinæque machinationum. Princeps inter cetera graditur ab antiquis majoribus ad posteros propagata *Φιλοποσία*, quæ flagrantissimam cohortium Civilis, è Chaucis Frisiiisque compositam, ignobili dedit ac miserabili letho: quippe non campum sortitam, ardori convenientem suo, neque cæsam gladio, qui bellacem solatur in extremis animam, sed fraude hostium, & intemperie sua, nocturna circumventam obrutamque flamma, *Histor. I V. Namque & Civilis illuc intenderrat, non invalidus, flagrantissima cohortium suarum integra: quæ ex Chaucis Frisiiisque composita, Tolbiaci in finibus Agrippinensium agebat. Sed tristis nuntius avertit, deletam cohortem dolo Agrippinensium: qui largis epulis vinoque sopitos Germanos, clausis foribus, igne injecto, cremavere.*

CAP. X.

Cur reliquerit Caucum Romanus. Relicti causa vel imperium tetigere, vel imperantes. Imperio nihil, ultra Rheni fluenta, solidum ac duraturum. Victi Transrhenani, non domiti. Continuis in victorem rebellionibus insurrexere. Subinde crudelitate rectorum, & avaritiâ proritati. Quod in rebus pauperculis essent, in solas vinci se contumelias existimavere. Fortuna belli artem victos quoque docuit. Cotis instar acuit Germani robur atque fortitudinem Romanus. Sicut hujus, cum Samnite Gallus. Genere pugna, sub initia, Ro-
mani

mani superiores. Crescentibus per bella Transrhenanorum animis, plures Rheni ripæ præsedere legiones. In Chaucide nulla deducta colonia, mansura servitutis instrumenta. Augusti consilium, de coercenda, Rhenum intra, magnitudine Romana. Deinceps assiduò motus Oriens Aquilonis fatigandi consilia sufflaminavit. Æmula reip. Rom. Persia. Transrhenam, licitante Romano, soliti quietem auro pacisci. Duplex causa depulit Imperantes à rei Romana proroganda cogitationibus. Invidia erga decessores, & Metus ex ducibus. Invidiâ Hadrianus, & Augustus, accensi. Metuebant intendi sibi, quod in hostem parabatur, qui hostili in suos animo grassabantur. Principe ministrorum formidante magnitudinem, insignita pericula nobiles excepere virtutes. Unde ducum segnities. Domitiani, Valeriani, Commodi suspicaces animi. Sed imprimis Tiberii, suspectantis animosè bellantem in vicinia nostra nepotem. Nec non Claudii, revocantis à generosa Chaucidis aggrediunda destinatione Corbulonem, qui jam castra in hostico moliebatur.

QUæ relinquendos suasere Caucos, vel Imperium pupugere causæ, vel Imperantes, Imperium nihil ultra Rhenum stabile vidit, ac verè suum. Transigere cum tot annorum non poterat expeditionibus, ac gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, ad certam imperii pacare confessionem. Armis irritabantur arma, & proximum quodque prælium secuturi materies erat & instrumentum. Rarò enim fides inter victos victorésque solida coalescit: imò nunquam fuere

fuere Germano tam degeneres affectus, quin vellet, tam prostrata vires, quin posset eripere sese conditioni, cuius eum poeniteret. Propterea, repertis autoribus, attollebantur ilicet animi, & apta insidiis tempora legebant. Hinc Strabo, cum Caucos Caulcosque delibasset, horumque confinia prementes, γνώριμα, inquit, πάντα κατέστη πᾶ ἔθνη, πολεμῶντα πρὸς Ῥωμαίους, εἴτ' ἐνδιδόντα, καὶ πάλιν ἀφιστάμενα. Id est, *Innotuere ista gentes, cum bellum contra Romanos gererent, deinde concederent, post rursus deficerent.* Et Seneca, de Providentia cap. iv. duritiem Germanorum inter earum exempla gentium ponit, *in quibus Romana pax desinit.* Quid mirum in iis pacem desuisse Romanam, qui cuncta poterant exprobrare Romano, quæ magnis solita sunt imperiis objectari? Specta Frisones: *primò boves, mox agros, postremò corpora conjugum ac liberorum servitio tradebant.* Annal. iv. Hinc ira questusque, & postquam nihil opis ab Vrbe, unde in omnia regimen, affulgescebat, ex bello remedium. Non enim, quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cetera naturæ mala, sic dominantis avaritiam luxumque credidère tolerandum, sed, ultima servitutis exempla passis, erumpendum brutæ patientiæ gyro. Quippe sicut in familia recentissimus quisque servorum ipsis ludibrio conservis est: ita Frisones

nes

nes isti, vicinalésque populi, quos, ante Dru-
sum recessus ipse terræ sinúsque defenderat, in
hoc orbis vetere famulatu, novos se vilésque in
in solas vinci contumelias & excidia vereban-
tur. Neque enim opulenta sibi latifundia, fo-
dinásque, queís reservarentur exercendis. Vir-
tutem porrò ac ferociam subjectorum ingra-
tam imperantibus, & longinquitatem ac secre-
tum ipsum, quò tutius, eò suspectius esse pate-
bat. Ergo tam quos glorià, quàm quos salus
animabat, aliorum vulnerum sæpiuscule recru-
descende cicatrice, rebellionem rebellionem con-
tinuabant. Audendi libidinem aluit imprimis,
quòd manus conferere cum principe gentium
populo didicissent. Etenim fortuna belli artem
victos quoque docebat, nec aliter Romano,
quàm quasi cote quadam, Germanus ingenitæ
ferrum virtutis acuebat. Vti Samnite Gallò-
que Romanus. Unde Polybius lib. I. Ἀθλητικῶν
γεγονότες ἀλληθινοὶ τῶν καὶ τῶν πόλεμον ἔργων, ἐν τῶν ὡς τὰς
Σαμνίτες καὶ Γαλλοὺς ἀγώνων. Id est, *ex prioribus con-
tra Samnites & Gallos certaminibus hoc consecuti
sunt, ut veri athleta bellicorum certaminum evade-
rent.* Ergo, post tot bella pugnata, vix jam po-
terat amplius *genere pugnae* (quod semel iterùm-
que de eo Tacitus affirmat) inferior existere
Romano Germanus. Cujus ob audaciam cre-
scentem, & ab hostili opes animùmque ferro
ducen-

duc entem, plures sunt ad Rhenum postea collocatæ legiones. Eadem audacia Romano, arcanis usuro suis, intercessit. Vix est enim ut ulla trans Rhenum digna memoratu colonia legatur: in Chaucide certè nullæ leguntur. Hæ verò sedes erant & instrumenta perpetuandæ servitutis. Annal. xii. *Colonia Camalodunum (in Siluribus) valida veteranorum manu deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles, & imbuendis sociis ad officia legum. In Agricola Vita: sparsos per castella milites constituti, expugnatis presidiiis, ipsam coloniam invasere, ut sedem servitutis.* Et Arminius Annal. i. in ea, qua ad libertatem suos erigit, à coloniarum motu præcipuum arcessit argumentum: *si patriam, parentes, antiqua mallet, quàm dominos & colonias novas.* Tamquam nihil sibi de duraturæ dominationis æternitate pollicente Romano, nisi viribus armorum pacatricium succenturiaret astuta coloniarum. Augustus verò, cujus invictæ providentiæ plura, quàm fortitudini, retulit accepta Romanus, eadem Martii populi perspectâ contumaciâ, ac dedignatione parendi, cum de connectenda ad Albim usque dominatione desperaret, ut Rhenum intra cupidinem Roma sisteret immensam, consilii specie perscripserat in quarto libellorum, quos, ab excessu ejus, illatos in senatum recitatos-

N

tatof-

tatósque, Dio tradidit. Hoc ipse consilium extollit Augustus, apud Iulianum in Menippea de Cæsaribus, Annalium quoque primo minimè prætermisum. Unde, eodem ad finem perveniente mortalitatis Augusto, licèt ultioni gloriæque litatura, Romana trans Rhenum signa fulgerent, abfuère tamen imperii proferendi cogitationes, si Annali credere citato velimus. Ac plerique, post Octavium, Imperatores ea, quæ Transrhenana audiunt ejus intuitu loci, qui nos hæc commentantes habet, inter infestanda quidem, aut infestata, sed nunquam inter edomanda, numeravère. Sed & illud inter omissi Cauci ponendum causas est, quòd continuis agitata conflictibus Orientalia non permisère tot distractissimo negotiis imperio, ut ad nostra hæc, versus Aquilonem recedentia, cum cura respiceretur. Inter cetera Persis *reipublicæ æmula* (Panegyricum agnoscis) & multis Romanorum ducum famosa funeribus annuis propemodum expeditionibus interpellabat erupturas in alia destinationes. Persæ tamen ut plurimum par Romanus erat, utpote fracto ipso cognati tepore cœli, & hinc fugam animo, vulnera plerumque tergo ferenti: unde lubido principibus, inde lauream deportandi potiùs, quàm à Transrhenano, libertatis alumino, cui majorem vitæ metum, quàm mortis,

tis,

tis, esse constaret. A quo pacem, auro seque-
strante, cogebantur impetrare. Herodianus li-
bro VI.

Ἀλέξανδρος μὲν ἐν ταῖσι βίβ. πολλῶν ἔδοξεν αὐτῷ
προσβῆναι πέμψαι πρὸς αὐτὰς, καὶ πρὸς εἰρῆνης διαλέ-
μας· πάντα τε ὑπὸ χυνοῖς παρέχειν ὅσων δέον, καὶ χρημάτων
ἀφειδῶς ἔχειν· τὰ τῶν γὰρ μάλιστα οἱ Γερμανοὶ πείθονται, φι-
λάργυροί τε ὄντες ἐπὶ τῷ εἰρηνίῳ αἰεὶ πρὸς Ῥωμαίους χρυσί-
α κατηλόοντες. Ὅθεν ὁ Ἀλέξανδρος ἐπερθεῖσθε ἀνήσασθε
μᾶλλον ἢ πρὸς αὐτὰς σπονδὰς, ἢ διὰ πόλεμον κινδυνώσειν.

Id est, interprete Politiano: *Quum in his Ale-
xander versaretur, decrevit tamen oratores ad illos
(Germanos Rhenum transgressos) de pace mit-
tere, qui pollicerentur, omnia illis principem Ro-
manum, quorum foret opus, præbiturum, pecuniâs-
que daturum magnâ copiâ. Sunt enim Germani
pecunia imprimis avidi, nunquàmque non auro pa-
cem Romanis cauponantur. Quare Alexander pa-
cem federâque potiùs ab illis emergari, quàm peri-
clitari bello tendebat. Claudianus:*

Illi terribiles, quibus otia vendere semper

Mos erat, & fœda requiem mercede pacisci.

Denique, urgentibus imperii fatis, pauca per
orbem valida, pleraque debilia sufflaminandas
monuere cupiditates. & nulla Senatus, oblite-
rati jam nominis, in eo cura, an imperii extre-
ma dehonestarentur. Ad capita rerum, Impe-
rantes dico, caussarum evolet indagatio. Quos
duæ cum primis imperatrices affectiones à
gloriæ cursu transversos egere, Invidia erga

Divos antecessores, & Metus ex ducibus ad ingentia bella mittendis. Ingrati virtutum interpretes, à prioribus occupatam laudis existimavere possessionem, suæque demtum gloriæ, quidquid cessisset alienæ. Quamobrem neglectim habita sunt illis, quæ adjecerat imperio cura cœlo dicati decessoris. In mari rubro classem Trajanus instituerat: provincias fecerat Armeniam, Assyriam & Mesopotamiam: invidit operibus Hadrianus. De quo Sextus Rufus in Breviario: *Hadrianum gloriæ Trajani certum est invidisse, qui ei successit in imperio. Hic sponte propria inde eductis exercitibus, Armeniam, Mesopotamiam & Assyriam concessit.* Immò, si Tacitū audire dubitantē lubet, ipse livorem in posterâ secula porrexisse videtur Augustus. Uti que, postquam mari Oceano septum, & omnibus longinquis (inter quos Rhenus) imperium, & relictum imperii Rationarium dixisset, *addiderat, inquit, consilium, coercendi intra terminos imperii, incertum metu, an per invidiam.* Per invidiam, ne Augusteum aliquando sidus obscuraretur à splendidiorē, trans Rhenum, Danubiumque & Euphratem radios spargente. Sed validior est invidiâ metus. Imminere sibi putabant, intendi sibi principes, quod in hostes parabatur, illi præsertim, qui hostilia, quum facerent, timebant. Eodem ergo tempore mi-
litaria

litaria studia, nec animos modò, sed & corpora ipsa languescere, gladios etiam incuriâ hebetari retundique gaudebant. Et ipsi inde duces adolescenti de se famæ largiri non audebant alimenta. Quippe qui non tam regum exterorum, quàm suorum principum insidias, nec tam hostium, quàm commilitonum manus operirentur & ferrum. Adeò ut nihil tam timerent, quàm ne timerentur. Mutuus igitur istemittentium timor, ac missorum, interceptit egregios quosque pro republica conatus. Ararim Mosellæ committere L. Vetus, inter utrumque fossâ ductâ, parabat: Helius Gracilis obstitit, deterrendo Veterem, *ne studia Galliarum affectaret, formidolosum id imperatori dictitans, quo plerumque prohibentur conatus honesti.* Annal. XIII. Cùm Agricola in victoriæ Britannicæ rumoribus objecissent, trepidabat ad tanti famam ministri Domitianus: *Id sibi maximè formidolosum, privati hominis nomen supra principis attolli: frustra studia fori, & civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet. & cetera utcunque faciliùs dissimulari, ducus boni imperatoriam virtutem esse.* Idem Domitianus, sub quo Britannicæ molem Iulius quoque Frontinus sustinuerat, *vir magnus quantum licebat.* Valerianum coquebat idem sub pectore fixus angor: de quo Zosimus libro I.

At Commodus, excogitato suspicacis animi munimento, liberos eorum, qui cum imperio proficiscerentur in provincias, excedere Romam vetabat, *ὡς ἔχει ὁμοίως τὴν εὐνοίας αὐτῶν καὶ πίσσεως,* ut haberet *obsides benevolentiae illorum fideique.* Herodianus libro III. Adspice ducem, qui triumphata nomen à Germania tulit. Majo, illi propemodum ex patruo, quam ex hostei metus; ex patruo, tum quoque virtutibus alienis iniquissimo, cum opere earum indigeret. Tiberio haud ingratum accidit, turbari res Orientis, ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret, novisque provinciis impositum, dolo simul & casibus objectaret. Annal. II. Itaque, quanto hic intentius, per saeva, per prospera, gloriam edomitae Germanidos affectabat, tanto ille crebriori literarum missitatione bellaturientem fatigabat, ut ad decretum triumphi rediret honorem: metu, ne, ob acerrima militum studia, habere nepos imperium, quam expectare, mallet. Donec modestiam ejus expugnavit, ac parto jam (sic enim Germanicus interpretabatur) abstractum decori, regredi Romam coegit. Unde auditae sunt in funere voces, *praepeditum esse, percussas tot victoriis Germanias servitio premere.* Vicinus noster ab occasu Friso, propter timida suspicionum, eodem ulcisci non audente Caesare, victorem vicit impune Romanum.

manum. *Clarum inde inter Germanos Frisium nomen, dissimulante Tiberii damna, ne cui bellum permittere.* Annal. IV. Sed quid in ipsa Chaucide præfulgens exhibere moror exemplum? Corbulo res inibi dignas imperio, dignasque magnitudine sua, gerere destinârat: excitata Claudii vecordia spem de gloria gentis subjugandæ conceptam interpellavit, ac compulit antiquæ virum generositatis antiquorum ducum voto requirere felicitatem. Dio lib. LX. Γναίϑ ἡ Δομί-
 ζϑ Κορβέλων, ἐν τῇ Κελτικῇ στρατηγίῳ, πῶτε στρατὸς μάλα
 σωκερίτηρε, καὶ τῶ βαρβάρων ἄλλας τε καὶ ἐς ἐνάλεν Καύ-
 χας ἐνάκωρε, ἔ αὐτὸν ἐν τῇ πολεμίᾳ ὄντα ὁ Κλαύδιϑ ἀνε-
 κήλεσε. πῶ τε ἡ ἀρετὴν αὐτῶ καὶ πῶ ἀσκησιν μαθῶν, ὅτε
 ἐπέσειψεν αὐτῶ ἐπὶ πλέον αὐξήθῳ. πυθόμυϑ ἡ τῶ ὁ
 Κορβέλων ἐπανῆλθε, τοσῶτον μόνον ἀναβοήσεις, ὅ μνησ-
 ϑιοι οἱ πάλαι πῶτε στρατηγιστῶν: ἐς δήλωρε ὅτι τοῖς μὲν
 ἀκινδύως ἀνδραγαθίζεσθῶ ἐξῆν, αὐτὸς δὲ ὑπὸ τῶ αὐτοκρα-
 τῶ Διῶ τῶ φθόνον ἐνεποδίδη. Quæ sic Annali Vn-
 decimo, sed augustiora leguntur ac sublimiora:
*Corbulo semina rebellionis (Chauco) præbebat, ut
 lata apud plerosque, ita apud quosdam sinistra fa-
 mâ, cur hostem conciret? adversa in rempublicam
 casura: cùm prosperè egisset, formidolosum paci,
 virum insignem, ἔ ignavo principi prægravem.
 Ideo Claudius adè novam in Germanias vim
 prohibuit, ut referri præsidia cis Rhenum juberet.
 Iam castra in hostili solo molienti Corbuloni, hæ
 litteræ redduntur. Ille re subita, quanquam multa
 simul offunderentur, metus ex imperatore, contem-*

tio ex barbaris, ludibrium apud socios, nihil aliud prolocutus, quàm, beatos quosdam duces Romanos, signum receptui dedit.

CAP. XI.

De his qui Cauci nomen consumsere. Qui Franci, Saxones, Frisii. Saxonum antiqua, trans Albim, sedes. Ad armorum jaciendam aleam, Cimbrorum Francorumque gloriâ proritati. Saxonicum littus in Gallias usque procurrebat. Quoad famam gentis, celsitudinem corporum, ad bella promptitudinem, equorum estimationem, comparatus cum Saxone successore Caucus. Vexilla Saxonis equorum nobilitata pulvis. Eorandem fremitu futurarum rerum eventus explorati. Clariores saepe gentes nominis ambitu sui populos occupasse, quos tamen ipsi mixtione sui neutquam violavere. Neque Saxona, neque Francum illicit fecisse, ne Caucus audiretur. In tractu Bederkesano Caucorum, Saxonumque, Monumenta. Frisii nominis amplitudo, longa serie parocianitum impletis. Id inditum utriusque Cauci portioni.

M. Annæus Seneca in Consolatione ad Helviam: Nova gentium nomina, extinctis prioribus, aut in accessionem validioris conversis, oriuntur. Primò Franci nomini, tanquam validiori, Caucus accessit: dein Saxonis, atque Frisonis. De Franco dictum nobis est anteeuntis libri cap. vi. quo publicas Cauci conabamur exhibere transportationes. Saxo quondam, Albi discludente, summovebatur
à Cau-